

### III.

#### ADDENDA AD PUBLICATIONEM ANNUAE LITTERAE SOCIETATIS IESU.

(Fontes Rerum Transylvanicarum tom. V.)

Post lineam 33. paginae 86: Missio ex Belgio et Germania in Transylvaniam, anno 1603.

Impetraverat P. Maiorius Vice-Provincialis a R. P. Generali, ut praeter auxilium, quod ex Italia et Austria subministrabatur, aliae quoque provinciae ad Transylvanicam messem mitterent operarios. Ex Belgio igitur tres ea intentione sunt destinati, ut et militem Vallonem<sup>1</sup> iuvarent, et in scholis laborarent. Hi fuerunt P. Petrus Halloix, P. Petrus Petitius et Magister Iacobus Senaltius. Ex Rhenana vero provincia missus est P. Thomas Kyserus, et ex Superiori Germania P. Michael Kagerus, ut per eos civibus Saxonibus, genere, lingua et moribus Germanis Claudiopoli panis frangeretur. Hi omnes cum eodem Patre Maiorio Roma redeunte, provinciam ingredi debuere. Verum cum in tempore Viennam non attigissent, praecessit ille, et hi subsecuti sunt. Cum autem Turócii<sup>2</sup> in Hungaria apud nostros aliquam itineris commoditatem opperirentur, en illac iter facit arcis Hustensis praefectus, Ioannes Leonardus ab Jell,<sup>3</sup> nobilis Germanus, et Societatis amicissimus, qui ante multos annos Parisiis nostro-

<sup>1</sup> Ezek a vallon katonák Basta György tábornok hadában szolgáltak, rettenetes rablást és pusztítást végezvén Erdélyben, amerre jártak.

<sup>2</sup> A turóci kollégium jól felszerelt rendháza magyar rektor vezetése alatt igen szép tevékenységet fejtett ki éveken keresztül.

<sup>3</sup> Huszti kapitányaként szerepel 1598, szeptember 29-e óta; Veress-Basta György levelezése I. köt. 57. l. Nevét olykor Y kezdőbetűvel is írják a kortársak.

rum opera a Beza<sup>4</sup> ad Christum fuerat traductus. Hic omnes secum accepit, eosque toto itinere humaniter, aequae ac liberaliter habuit. Cumque Cassoviam pervenissent, et Transylvaniam ab hoste Moyse<sup>5</sup> occupatam intellexissent, eosdem secum ad arcem suam duxit; quo statim atque pervenit, ab Episcopo, in cuius dioecesi arx illa sita est,<sup>6</sup> sacerdotes, qui Ministris nomine Lutheranisue Calvinianis sufficerentur, petiit. Verum ne, quod petebat, obtineret, paucitas sacerdotum effecit. Ipse igitur, ne, quod in se erat, desideraretur, moribus prorsus Christianis, omnibus exemplo esse coepit. Quotidie sacrum audiebat, frequenter orabat, pios libros lectitabat. Et quotiescunque occasio dabatur, dabatur autem saepissime, primores e Nobilitate ad avitam religionem amplectendam hortabatur. At vero, cum Basta, qui tunc Szakmari cum exercitu morabatur, ex Belgio Patres advenisse cognovisset, illos ad se vocavit. Verum cum paucis post diebus castra in Transylvaniam contra Moysen esset moturus, eorum uno, Patre Petro Halloix pro se et Vallone milite retento, reliquos duos Varadinum dimisit. Quorum alter P. Petrus Petitius, quasi cursus sui finem praesagiret, eorum instar, quae natura non vi moventur, animi sui conatus in Deum vehementius, quam unquam antea intendere coepit. Nam etsi semper rerum spiritualium amans fuit, extremo tamen illo tempore, seipsum in amando Deo superare videbatur. Duos menses Varadini vixit, quo tempore libellum Exercitiorum e manibus nunquam dimisit. Multas singulis diebus orationi et meditationi horas tribuit, nulla, nisi de rebus divinis, colloquia habuit. Per octiduum ante quam in morbum incideret, nihil nisi de vita beata, ad quam totis viribus aspirabat, vel cogitavit, vel verba fecit. Mores autem et vitam totam ita composuit, ut degens in terris, cum Paulo versari videretur in coelis. Grassabatur tunc Varadini pestis: non ille tamen ea lue, sed prius vehementi capitis dolore correptus, tum deflutione quadam, quae partes vitales occupavit, triduo con-

<sup>4</sup> Beza Tódor genfi predikátor, Kálvin János tisztársa és utódja, 1519—1605 közt.

<sup>5</sup> Székely Mózes erdélyi fejedelem.

<sup>6</sup> A huszti vár egyházilag az egri püspökség alá tartozott.

sumptus mortalem hanc lucem cum illa aeterna, quam tantopere expetiverat, uti sperandum est, commutavit die 2. Septembris anni 1603. Socius ipsius paulo post, bonam occasionem nactus, Claudiopolim, ubi iam Patres restituti erant, ut in scholis doceret, se contulit.<sup>7</sup>

Iam ad illos, qui cum Hustensi praefecto remanserunt, redeamus. Ibidem quinque menses morati sunt, nec otiose. Diebus enim festis conciones habuerunt, quibus semper Praefectus ipse et eius iussu atque exemplo reliqua familia cum praesidiario milite interesse consuevit. Et vero constitit fructus, nam capita amplius sexaginta, elutis animi sordibus, divinum celebravere convivium, quod diu neglexerant alii, alii tota vita, ut qui tunc posita contumacia, suavi Ecclesiae iugo cervices suas subiiciebant. Quos, ut magis Praefectus ipse confirmaret, saepe domestico convivio excipiebat, ad pietatem excitabat, ut constantes, essent, suadebat; et multa illis benevolentiae et humanitatis signa exhibebat. Nec solum pietati seminandae, sed impietati etiam extirpandae eius desudavit industria. Nam blasphemias, perpotationes, illicitus lusus, aliaque vitia, quibus male feriatu miles nimium occupari solet, extra fines suos amandavit. Quod, ut maiori cum facilitate et suavitate fieret, Patres cum publicis concionibus, tum privatis colloquiis multum adlaborarunt. Qui infirmis quoque iuvandis operam suam collocarunt. Quorum nonnulli sacro viatico muniti pie suo Creatori animam reddidere. Cum vero Transylvania pacatior esse intelligeretur, eos Claudiopolim, ubi iam reliqui Patres convenerant, magna cum charitate duci curavit Praefectus, qui non multo post Sacro adventus tempore appropinquante, ipse quoque eodem profectus est, ut inde secum sacerdotem abduceret, ne sacrum illud tempus, sacramque Christi nati solemnitatem sine sacerdote celebraret.

(E Historia Transylvaniae pag. 58'—59.)

Post lineam 29. paginae 98. ad annum 1604: Deo itaque rem gratam sine dubio, et suae pietati convenientem, mihi

<sup>7</sup> Kolozsvárt Basta támogatásával rendezkedtek be újra a visszatért jezsuiták, habár lerombolt kétemeletes kollégiumukat régi alakjában soha felépíteni nem bírták.

vero perpetuo officio et filiali amore colendam faciet, si, ut ante festum Paschatis hinc exire et ad vos desideratissimos pervenire valeam, obtinebit.<sup>8</sup> Ea profecto mihi cum Ill<sup>mo</sup> barone Hoffkirchen, supremo Caesareae Maiestatis in hac arce capitaneo,<sup>9</sup> pia et catholica consuetudo intercedit, ut haud sciam, debeamne illam domesticae meorum familiaritati postponere. Verum moles peccatorum, quibus gravor, et summum, ab eis ut absolvar desiderium, nullam mihi sive dormienti, sive vigilantanti requiem concedit. Has porro Reverende Pater auget curas vitae brevitatis, quae vix sufficit errorum confessioni, nedum satisfactioni; nisi mihi divina adsit bonitas atque clementia, quae Petro negationem, Paulo persecutionem, et caeteris confitentibus delicta relaxavit, et transgressionem condonavit.

Haec ille Trausnerus; quae, ut eius animum post susceptam lucem declarant, sic quae sequuntur, quo spiritu tam ante, quam post veram lucem duceretur, facile indicabunt. Sic enim de se, in aliis ad eundem Patrem litteris loquitur: Qui enim rudis antea Dei, et eius religionis vivens, superba arrogantia caput in coelo ponebam et Sanctissimos divinatorum oraculorum interpretes, ac sacrorum mysteriorum dispensatores, non solum negligebam, sed alto supercilio contemnebam; nunc non solum amo et veneror, sed adoro et exosculor. Non ignoro cives meos adeo pertinaces esse, ut difficillime ad frugem aliquam revocari possint, et ob id conversionem meam illis scandalo potius, quam exemplo esse futuram; eos tamen (si Deo visum fuerit, ut hoc liberer carcere) in meliorem reducam viam, Deo dante, incrementum. Dominus Deus suo sancto spiritu conversionem nostram in dies augeat, atque confirmet, ut Suae Divinae Maiestatis laus per nos pusillos et pene posthumos perficiatur. Amen.

(E Historia Transylvaniae pag. 17.)

<sup>8</sup> A katolikus vallásra visszatért Trauzner Lukács leveléből való nyilatkozat, amely óvatosságból hagyatott ki az Évi jelentésekből. Trauzner a dévai gyűlés ideje alatt (1603 szeptember 7-én) fogatta el Basta Khrausenegg ösztönzésére és hét hónapi fogság után bocsátott szabadon. (Szamosközy feljegyzése, Munkái IV. köt. 203. l.)

<sup>9</sup> Báró Hoffkirchen János Adám ezredes, Basta egyik kiváló tisztje, dévai kapitány.

Post lineam 36. paginae 98 ad annum 1604: Discursus Patris Viceprovincialis<sup>10</sup> cum Domino Generali Basta hic fuit. Cum igitur litteras Pater ad verbum legisset, in quibus non ea solum, quae descripsimus, verum alia etiam continebantur, quibus suam innocentiam et perpetuam erga ipsummet Generalem observantiam testabatur, valde commotus est Generalis. Tamen, quia prudens est, nec facile se decipi permittit, animo suspenso haerebat; nec facile in eam sententiam, ut captivum liberaret veniebat, tum Pater: „Non est, inquit, cur simulationem aut deceptionem timeamus, nam vel iste sincere procedit, et tunc nos multum lucratur, vel fecte, et tunc ipse existimationem apud suos prorsus amittit, quod tamen sine religionis catholicae emolumento fieri nequit.“ Hunc discursum Generalis valde probavit, et Trausnerum liberare omnino constituit. Verum illa difficultas occurrebat, quia cum eo tempore nihil absque praesentiam commissariorum consilio faceret, eorum autem duo tunc essent Claudiopoli, et ambo heretici, non apparebat modus, quo illis rem ita proponeret, ut ipse optatum finem obtineret; nam, si id in religionis gratam fieri adversissent, absque dubio impedimentum aliquod opposuissent. Huic quoque difficultati, hac ratione occurrit Pater. „Mihi alias dixisti, inquit, te nullam quidem adversus Trausnerum querelam, qua illum prodicionis nomine detineres, habuisse; detinuisse autem, quia hominem quoad religionem pessimum, et pessima semper molientem cognoscebas. Illius igitur negotium non religionis, sed iustitiae nomine tibi et proponendum est, et determinandum.“

His hoc modo constitutis, commissarios vocavit Generalis, sequē in Trausnerum, an alicuius criminis reus esset, severe inquisivisse, nihil autem invenisse affirmavit. Quare, nisi illi contra eundem, aliquam iustam causam haberent, se illum amplius nec velle, nec posse salva conscientia captivum detinere. Cum vero nihil ipsi se habere respondissent, litterae statim decretae, et ad Devensem praefectum, ut illum liberum dimitteret exaratae fuerunt.

<sup>10</sup> A viceprovinciális maga a krónikás Argenti János atya, aki itt e tapintatos beszédével meggyőzte Bastát Trausner ártatlanságáról, mire az rendeletet küldött a dévai kapitánynak, hogy engedje szabadon.

Domum ille revenit, et continuo de Confessione et aliis ad salutem spectantibus ita serio, et tanto cum animi sensu agere coepit, ut et praeterita tempore redimere, et multa futura brevi explere velle videretur. Et cum tunc tempus acceptabile esse intelligeret, omnes illos salutis dies, usque ad Resurrectionem, propriae conscientiae purgandae, animaeque ad Christum suscipiendum praeparandae consecravit.

(E Historia Transylvaniae pag. 17—18.)

Post lineam 29. paginae 101. ad annum 1604: Inter hos fuit adolescens quidam insignis, qui ante aliquot menses conversus, iam aliquoties confessus fuerat, et communicarat. Is, quidnam lucri ex baptismo sibi accessisset, interrogatus, „Maximum, inquit, antea enim quotiescunque de anima mea cogitabam (id autem frequentissime faciebam) totus trepidabam, continuisque fere conscientiae stimulis agitabar. At post baptismum, ita ab omni animi perturbatione sum liberatus, ut antea in alto navigasse, iam portum videar obtinere.“ Virgines nonnullae sub parentum Arianorum potestate constitutae, iuvantibus vel fratribus, vel aliis cognatis catholicis, sacro eodem lavacro ablutae.

Illud quoque hic addemus, cum P. Viceprovincialis Albam cum commissario Krausenegg<sup>11</sup> iret, et ex itinere ad locum dictum Torockó, eidem commissario a Caesare donatum divertissent, Patri assignatum est hospitium in domo quadam catholica. Statim igitur, ut saepe in itineribus accidit, oblatus est puer quidam orphanus, nondum baptisatus (ibi enim Ariana lues dominatur) baptisatus est; quod cum postea Praedicans cognovisset, puerum excommunicavit; qui propterea in magno periculo erat, ne ab omnibus desereretur. Rescivit hoc commissarius, et de expellendo Praedicante cogitavit, sed quia difficultates oblatae sunt non leves, nihil tentavit, interim tamen, ne puer pateretur, providit.<sup>12</sup>

Neque mirum. Cum enim in civitate praesidium esset, et praeterea saepissime, varias ob causas, novae militum cohortes ventitarent, quae cives animo plusquam hostili prosequerentur, perpetuae erant tum publicae, tum privatae queri-

<sup>11</sup> Khrausenegg Pál hadbizos 1603 májusa óta működött Basta mellett Erdélyben, ahol szerfelett meggazdagodott.

<sup>12</sup> Ez a részlet az 1604-i évjelentésből maradt ki.

moniae. Pro publicis causis, tam Generalem, quam commissarios saepe Superior adibat; pro privatis vero, vix reliqui sacerdotes sufficiebant. Nulla enim dies erat, quin plures, sive pauperes, sive viduae infelices ad Collegium accederent, ut aliquem sacerdotem, Germanum, si cum Germano milite agendum erat, Vallonem, si cum Vallone impetrarent. Hic enim se verberari, ille suppellectili spoliari; alter panem, quo filios alat, non habere, et tamen ebriosis hominibus lautam mensam instruere debere conquerebatur. Quare cum sacerdotes nostros reverentur milites, non facile aestimari potest, quanta et quam multa in hoc pietatis et officii genere praestiterint Patres.

(E Historia Transylvaniae pag. 19'.)

Post lineam 6. paginae 102. ad annum 1604: Egit (Pater Superior) cum Basta, cuius animum cum ad clementiam magis, quam ad severitatem propensum cognovisset, ipsosmet captivos in una eademque domo, sub custodia degentes, solandi causa visitavit. Eum illi, tanquam Angelum de coelo descendentem exceperere, dexteram osculati fuere, eamque honoris causa, capiti suo imposuere. Cum vero eos sedere, caputque tegere iuberet Pater, vix ipsi obtemperavere, se enim neque dignos, qui coram illo starent, dicebant esse. Cum ergo Pater illos salutasset, et quo consilio illuc ivisset, significasset, nimirum ut eos tanquam fratres carissimos visitaret, officia sua omni sinceritate offeret, et simul, quid iam pro illis egisset, quidue a Generali retulisset, aperiret, eos demum bono animo esse iussit, optimamque de futura libertate spem dedit; pro qua, donec obtineretur, se perpetuo laboraturum promisit. Postremo, ut divinam in eos, antea vita concitatam iram, vitae ipsius mutatione placerent, paterne et graviter admonuit. Eorum unus, qui prudentia, auctoritate et eloquentia inter caeteros eminebat, nomine omnium respondit; beneficium hoc tantum esse, ut ipsi gratiae referendae nequaquam pares esse possent. Longamque enumerationem fecit, tum civium, tum amicorum, tum cognatorum, a quibus cum salutis praesidia exspectassent, non solum non amicos, sed magnos inimicos habuissent. Contra vero in Societate (quod plane naturae vires superare videbatur) tantam charitatem se invenisse affirmabat, ut admissa ab ipsis in eandem

facinora beneficia fuisse viderentur, quibus ad parem gratiam referendam Societas esset excitata. Addebat, seipsos filio Prodigio, Patrem vero, misericordiarum patri similem fuisse. Cuius, inquit, beneficii memoriam nulla unquam oblivio delebit. Nos enim dum vita comes erit, grati erimus; excedentes e vita, ne posteritas nostra ingrata sit, aut immemor, testamento cavebimus. Multaque alia dixit, quae et eos, quantum Societati deberent, agnoscere ostendebant, et perpetuam in eandem observantiam promittebant.

Ab eo tempore nunquam eorum causam agere tum apud Generalem, tum apud Commissarios Pater destitit, donec primum, ut unusquisque domi suae esse; tum, ut templum adire; denique, ut e civitate ad vineas colendas exire, et consequenter ubique versari posset, impetravit. Horum praecipui cum dimitterentur, non prius proprias domos, propriasque uxores ac liberos invisere voluerunt, quam ut Patrem adirent, gratias, quas possent agerent; immortales autem se habere significarent. Cum igitur aperto carcere, abeundi facultas illis facta esset, non ante exire voluerunt, quam et Patrem domi esse, et sibi eum accersere licere cognovissent. Neque ille ipse, qui fratrem nostrum interfecerat,<sup>12a</sup> a Societatis charitate exclusus fuit. Cum enim facinus negare non posset (si quidem de eo saepius gloriatus fuerat) et propterea in extremo vitae periculo versaretur, a Patribus tamen excusatus fuit, et a Generali impetratum, ne illi molestia ulla inferretur. Qui Generalis, et illum malum hominem esse affirmavit, et peiora in nos facturum, si quando occasio illi daretur, praenuntiavit. Porro, si Societas inimicos ipsos, a quibus summis affecta fuerat damnis et iniuriis, tanta cum charitate, sibi iuvandos censuit, quid erga illos, qui et amici erant, et illam, dum persecutionum procellis ageretur, ne periret, omni conatu iuverant, facere debuit? Sane illos non deseruit, nihilque, quam ut eos iam colla in laqueos inserentes liberaret, antiquius habuit. Hinc cum Generali non semel a Caesare, ut Gregorius Bornemisza, qui veluti primus Claudiopolitanae

<sup>12a</sup> Ez frater Emmanuel Neri sekrestyés volt, akit a templomban, az 1609-i megrohanáskor minden valószínűség szerint Fűsüs András ölt meg; de miután elmenekült a városból, Basta emberei nem bírták elfogni, hogy megérdemelt büntetését elvehette volna. Neri működése és megöletése részleteit ld. Erdélyi V. Fontes-kötetünk több helyén.



defectionis auctor delatus fuerat, suspenderetur, iniunctum fuisset, id ne fieret, Societas non precibus solum, sed etiam rationibus, quibus eius innocentiam ostendebat (in multis enim falso ab haereticis in odium religionis accusatus fuerat) impetravit, et tandem negotio composito illum liberavit. Melchior Bogáthi,<sup>13</sup> cum Generalem sibi infensissimum esse, saepissimeque infamem mortem minitari audiret, et propterea illi se credere non audens, in arce sua satis munita, sese contineret, tandem agente Societate, ira mitigata est, et negotium feliciter transactum. Stephanus Kendius cum aliis in Fogaras captivus detinebatur,<sup>14</sup> et ob rationes quasdam peculiare maxime omnium in periculo vitae erat, pro omnibus quidem laboravit Societas, vero pro ipso ea ratione egit, ut non alienam, sed propriam causam agere videretur: et tantum effecit, ut cum aliis ipse quoque liberaretur.

19 Sigismundus Sarmaságus, magnus ille quidem nobilis, sed maior Catholicus, summus autem Societatis fautor delatus fuit, quod provinciam prodere vellet; et propterea Nobiles, qui apud Turcas erant, ut eam aggredierentur stimularer, tempusque et occasionem opportunam ostenderet; qua de re adulterinae litterae, quasi interceptae essent, productae fuere. Innocens igitur ex improvise captus, in summo vitae discrimine versabatur, propterea, quod eum delicti reum Generalis arbitrabatur. Et licet multi eum innocentem esse existimarent, eiusque vicem valde dolerent, nullus tamen erat, qui pro eo in odiosa proditoris causa, vel os aperire auderet. Pater igitur Vice-Provincialis, cum optimis coniecturis Sarmaságii innocentiam agnosceret, et tamen illum periclitari videret, quia cum eo severe nimis ageretur, tantum cum Generali opportune et importune effecit, ut primum illum impetum, quo in reum ferebatur, represserit, et ut mitius pariter et cautius ageretur, impetrarit. Qua in re illud propositum habuit, ut non solum captivo, sed ipsi quoque Generali prodesset, si quidem una eademque via, et innocentem ab iniusta morte, et Iudicem ab iniqua sententia praeservare volebat. Quod utrumque obtinuit. Nam cum causae expeditio, ut

11 qu

a

<sup>13</sup> Elfogatásuk igázi oka ismeretlen, de kegyelemért folyamodott Rudolf császárhoz, aki aztán 1604 január 29-én kért róla jelentést Bastától. (Levelezése II. köt. 377. l.)

<sup>14</sup> Kendi István elfogatása részleteit nem ismerjük.

veritas magis exploraretur, dilata esset, tandem litteras a delatoribus ipsis fictas fuisse repertum fuit; atque ita et Sarmaságius, velut innocens liberatus, et Generalis ne in sanguine iusto manus pollueret conservatus. Quia vero omnes numerare longum esset, illud dixisse sit satis; viduas, pupillos, miserosque omnes in suis calamitatibus nullum maius Societate praesidium invenisse.

(E Historia Transylvaniae pag. 19'—20'.)

Post lineam 13. paginae 103. ad annum 1604: Cum die Sancto Stephano sacro,<sup>15</sup> tam atrox frigus esset, ut senes simile unquam fuisse non meminissent, ante lucem in platea voces quaedam flebiles auditae. Quare cum famuli rem exploratum missi essent, duas puellas invenerunt, quarum una universo fere calore vitali extincto, rigidis membris, capillisque glaciatis, difficile spirans, humi iacebat, altera vero nihil aliud, quam flere valens, a sociae statu non procul abesse videbatur: statim ad aedes, ubi aliae foeminae habitabant, delatae sunt, et calore extrinseco internus excitatus est, atque recreatus. Parum enim aberat, quin prorsus extingueretur. Illa, quae magis afflicta fuerat, statim atque se movere potuit, sub fornacis hypocausti fornicem sese proripuit, ibique triduo integro, calore fruens mansit; quo tempore neque cibo, neque re ulla invitata, ut inde exiret, adduci potuit. Eodem die ante templum inventi duo pueri, quorum unus seminudus, alter prorsus erat, sicut ex ventre matris exiverat, nudus, ut mirum esset illum tantam frigoris acerbiteratem, vel minimo temporis spatio ferre potuisse. Uterque receptus, inter alios orphanos collocatus, et de vestibus, aliisque necessariis provisum fuit. Cum vero panis ita deficeret, ut nequaquam tantae familiae moles ad messem usque sustineri ~~posset~~, 1100 ecce tibi more suo, divina providentia adest. Generalis in Hungariam discessurus, agenti suo, quem Claudiopoli relinquebat, in mandatis dedit, ut adveniente tritico, quod pro se advehi iusserat, Patri Vice-Provinciali, quicquid ipse voluisset suppeditasset. Cum vero tunc itinera adeo latrociniiis infesta essent, ut nullius ratio haberetur, vix de illo tritico spes ulla erat. Cum ecce praeter spem, periculis miris

<sup>15</sup> Ez a december 26-i Szent István napja.

modis superatis, triticum advenit: ex quo tantum Pater accepit, quantum ad familiam universam duobus mensibus sustentandam necessarium fuit. Quae sine dubio Christianum Christiani Generalis opus coram Deo praesentavit, coelestia illi praemia, pro munere temporali impetratura.

(E Historia Transylvaniae pag. 21')

Post lineam 1. paginae 105. ad annum 1604: Neque vanus labor erat, nam minores ac maiores ita avide et modum orandi, et orationes ipsas, et Sacramentorum, aliarumque sacrarum caeremoniarum catechisticas explicationes arripiebant, ut paucorum dierum spatio catholice omnes educati fuisse viderentur.

(E Historia Transylvaniae pag. 21.)

Post lineam 15. paginae 108. ad annum 1604: Cum semel foenum deficeret, quia tunc nulla militum suspicio erat, boves plus quam 40 ad pagum uno fere die distantem, pro foeno miseramus, cum, ecce tibi, die quo cum curribus onustis redire debebant, nuntiatur, aliquot militum centenas adesse, eorumque partem, cum ubinam nostri boves essent cognovissent, eo concessisse. Iam de bobus actum existimabamus, at Deus providit, quia cum via ordinaria, qua veniebant boves, per medium quendam pagum transirent, bubulci consilio nescio quo moti, viam regiam deseruerunt, et semitam quandam extra pagum tenuerunt; et tunc recte milites (ut postea cognitum est) per pagum transibant, quibus quominus currus viderent, spissa quaedam caligo impedimento fuit. Cum igitur ad locum pervenissent, diligentissime, dato etiam rusticis iuramento, num Patrum boves adsint, exquirunt, et quia in mentem non venit interrogare, an fuerint, audacter rustici adesse negarunt. Si enim ante duas circiter horas discessisse intellexissent, illos, persecuti et assecurati facile fuissent. Quod si accidisset, damnum irrecuperabile fuisset, cum enim numerosissimam familiam, cum aliorum, tum orphanorum et studiosorum haberemus, nisi boves hyeme tota ex sylvis ligna subministrassent, multi levissime vestiti, solo frigore contabuissent. Praeterea vaccae, ex quibus bona pars victus sumebatur, nulla ratione conservari potuissent, nisi boum beneficio ipsae quoque cibum percepissent. Sed

quod caput erat, cum in nostris bonis boves fere nulli essent, nostris ancissis, nullam agriculturam exercere, et consequenter neque alios substituendi spes ulla fuisset, cum boves, ut rari, ita in summo pretio essent. Plures alii similes casus narrari possent; verum in hoc genere unum attigisse sufficiant.

(E Historia Transylvaniae pag. 22.)

Post lineam 8. paginae 109. ad annum 1604: In Fogaras autem mansit ille parochus usque ad initium anni 1606, quo tempore a Gabriele Hallero, Fogarasiensi praefecto expulsus fuit, et illi suffectus Minister haereticus. Nam etsi in Comitibus, ut omnia usque ad alia Comitibus in suo statu permanent, decretum fuit, quia tamen Fogaras ad Principem spectat, Praefectus ibi locum habere decretum negavit. In tota igitur Transylvania (Siculiam excipio) tria tantum templa Catholicos sacerdotes habent; quorum duo sunt nostra, Monostoriense et Albense, tertium est Fenesiense. Ille enim pagus, qui territorio Monostoriensi est finitimus, cum superioribus annis a sacerdote nostro ad Catholicam veritatem esset conversus, illam semper inviolate defendit. Et licet modo loci illius dominus sit Emericus Gellény, qui tempore utriusque nostrae eiectionis Iudex Claudiopolitanus fuit, homo haereticus et religioni Catholicae infensissimus, non tamen illi permittunt pagani, ut vel sacerdotem Catholicum expellat, vel ministrum haereticum inducat. Cum autem illius uxor, quae fervore quodam seu potius furore acta Arianorum vult esse, et haberi antesignana, aliquando cum bonis illis viris de religione ageret, eosque a recta veritatis semita avertere vellet, „Vos, inquit, non Catholicos esse, sed Lutheranos probe novi. Quae religio, quia bona est, est vobis retinenda, et Catholicus sacerdos dimittendus. Mihi autem curae erit, ut Lutheranum inveniam, qui et caeremonias, quas amatis faciat, et Missam vernacula lingua celebret.“ Ad haec eorum unus „Si Lutheranismus, inquit, est bonus, quare tu eam non amplecteris, abiurato quem tantopere extollis Arianismo?“ Cui illa „Arianismum iam habeo, et mihi ille bonus est; vobis vero pro salute vestra conducit Lutheranismus.“ Tum ille „Cum Deus, inquit, unus sit, una quoque sit religio necesse est. Una igitur (quaecunque illa sit) admissa, caeterae reiiciantur oportet. Ergo, si Lutheranismus salutem conducit, eidem nocebit Arianismus. Quid? Non-

ne Deus unus est? At non eundem Lutherani colunt atque Ariani, illi enim trinum adorant, quem hi constantissime negant. Ex quo sequitur, utramque illam sectam non posse esse veram. Nos autem non unam tantum, sed utramque falsam asserimus, quia fidem Catholicam veram confitemur. Neque vero Sacrum in nostra lingua volumus. Illa enim mysteria venerabundi adorare, quam curiosi investigare malumus." His auditis illa obmutuit, nec in posterum illis molesta fuit.

Tria templa, quae Catholicos habeant, esse diximus; iam (nostris exceptis) duos tantum sacerdotes superesse dicimus, Fenesiensem parochum et Albensem, quibus ultimis diebus accesserat ille alter, qui, ut alibi diximus, in Monostor cum Patribus fuit. Praeter hos, sunt duo alii Concionatores Catholici, qui cum antea essent Praedicantes haeretici, Societatis opera conversi sunt, et ob sacerdotum penuriam, Verbi ministerium retinuerunt. Horum unus in nostris Albensibus pagis manet, in Gerendiensi pago moratur alter. Verum, qui apud nos erat, bonis illis occupatis, munere suo privatus fuit.

(E Historia Transylvaniae pag. 60.)

Post lineam 29. paginae 123. ad annum 1605: Et quia de concionibus sermonem instituimus, illud praeterire non debemus, quod maxime memoratu dignum semel accidit. Foemina quaedam, honesti civis uxor, in ipso haereticae concionis loco, pro sede quadam acrem cum aliis foeminis contentionem habuit. Cum vero causam amisisset, ira seu potius furore percita, se nunquam illuc redituram iuravit, impieque, si unquam rediret sese Diris devovit. Verum ante octiduum vel iuramenti oblita, vel humana, divinaque omnia contemnens rediit. Vix ~~h~~gressa, in terram quasi externa vi pulsa, ruens, tam horrende corpore agitari, tamque horrendos edere mugitus incoepit, ut Sathanae tradita videretur, iis, quae sibi imprecata fuerat, crucianda tormentis, Domum relata est, remedia omnia adhibita, sed frustra. Ipsa enim triduo vel quadriduo, quo vixit, semper furens, nunquam articulate loquens, nec cibum capiens, sed perpetuo rugiens, ore spumans, et membra omnia horribiliter contorquens, crudelissimis desperationis furiis agitari videbatur. Ita, ut Catholici quidem eam in hac vita aeternas luere coepisse poenas iudicarent; haereticorum vero, qui haec, quae uti publica et manifesta in omnium ore versa-

11 in

bantur, recogitaret, inventus est nullus. Tanta est eorum cecitas et obfirmata in malo voluntas. Gravem Dei punitionem, levis haeretici Ministri calumnia sequitur.

(E Historia Transylvaniae pag: 22'.)

Post lineam l. paginae 126. ad annum 1605: At postquam Sigismundus e provincia discessit,<sup>16</sup> ex illa familia solus Gabriel, tum puer, in Transylvania mansit, cuius pater fuit Stephanus, Stephani regis, Christophorique principis ex fratre nepos, et Cardinalis ac Balthasaris frater; qui e vita decedens, duos filios post se reliquit; hunc, de quo agimus et alterum natu minorem, ex secundis nuptiis susceptum, qui cum matre Polona, in Polonia educatur.<sup>16a</sup> (Haec in praesenti habitat in Somlyó, sed filium reliquit in Polonia, ne corrumpatur a fratre maiore.) Hic igitur Gabriel, catholice quidem et in Polonia apud patrum Cardinalem et in Transylvania apud nostros fuerat educatus. Verum cum post Sigismundi discessum, alterius lineae proles, Stephanus Bathoreus,<sup>17</sup> vir totius Ungariae splendore et opibus longe primus, eum ad se in Hungariam evocasset, ditissimique patrimonii (prole enim carebat) haereditatem instituisset; ille avitam religionem, cum adoptivi patris haeresi commutans, ex Christi schola ad Calvinii synagogam emigravit.

Cum vero senex, non iuvenis solum, sed etiam bonorum ipsius curam suscepisset, Somliensem gregem Catholico pastore orbare non semel constituit, verum piis illius populi precibus mitigatus, consilium semper in aliud tempus distulit. Nunc vero, cum praesentem eorum sacerdotem se amplius nec posse, nec velle ferre, iis nuntiasset, severeque iniunxisset, ut illum absque mora dimitterent, et alium, si vellent, conducerent, quod nisi fecissent, se et sacerdotem eiecturum, et templum de manibus eorum erepturum, suaeque religionis ministro traditurum, minacibus verbis affirmasset; illi statim nonnullos ex praecipuis oppidanis Claudiopolim Patrem Vice-Provincialem oratum miserunt, ut ipse pro paterna Societatis in Catholicos omnes cura, afflicti populi rationem haberet, periclitanti

<sup>16</sup> Báthory Zsigmond végleg 1602 nyarán hagyta el Erdélyt a azontúl a cserében kapott libochovicei kastélyában élt, Csehországban.

<sup>16a</sup> Báthory Istvánnak ez a lengyel nő (Kostka Zsófia) második felesége volt.

<sup>17</sup> Ecsedi Báthory István erős kálvinista, aki aztán Ecsed várát kiterjedt uradalmával Báthory Gáborra hagyta.

religioni succurreret, nec sacerdotis defectu virginem templum pollui sineret. Pater igitur, cum quid Claudiopolitani molirentur, persentisceret, ne uno eodemque temporis momento tanta religionis iactura, tum Claudiopoli, tum Somlyó fieret; sacerdotem, quem paulo ante Claudiopolitanum parochum agere diximus, illis concessit. Cum enim ecclesiam illam sacerdos idem alias rediisset, et populo gratus, Bathoreo autem utrique seni et iuveni non ingratus fuisset: sperabatur fore, ut fructus, quem ex Somliensibus esset daturus, Claudiopolitanum defectum abunde compensaret. Quem vero successum habuerit, quia nulla forte in posterum narrandi occasio erit, hic paucis expediemus. Donec igitur Stephanus in vivis fuit, nec ipse, nec populus molestiam ullam habuit, at illo, paucis post mensibus mortuo, cum rerum administratio ad Gabrielis manus pervenisset, statim ille in mense Augusto (cum iam Societas Claudiopoli, ut inferius dicitur, eiecta esset) sacerdotem eiecit, et in eius locum haereticum ministrum substituit, atque ita cum in familiam suam haeresis labem primus intulisset, templum etiam incorruptum et maiorum suorum tumultis ornatissimum violavit. Attamen Somlienses violare non potuit, licet enim eorum praecipuos, qui sese opponebant, et relictis omnibus se alio migraturos affirmabant, tum carceribus, tum aliis modis vexaverit; nequaquam tamen impetrare potuit, ut ex oppido universo vel unicus aut haereticas conciones audiret, aut ne tantillum quidem a recto Catholicae religionis tramite deflecteret. Omnes autem potius pro religione mori, quam a religione discedere se velle dicunt. Sacerdos autem in Siciliam, patriam suam se recepit; sicuti alter, qui praecesserat, natione Polonus, in Poloniam migravit. Et licet postea cum Gabrielis noverca, foemina cum generis splendore, tum virtutum ornamentis clarissima, post aliquot menses redierit, et cum eadem ibi moretur: nulla tamen catholicorum exercitia a Gabrielis ministris publice habere permittitur. Quare, cum Calvinianus ille, qui templum occupaverat, brevi esset mortuus, nec ullus in eius locum, ad sequentem usque Augustum suffectus esset, omni religionis exercitio Somlienses destituebantur. Gabriel autem, non in naturalis patris, sed in eius, a quo adoptatus fuerat, arce munitissima dicta Ecsed comoratur.

(E Historia Transylvaniae pag. 23—24.)

Post lineam 13. paginae 127. ad annum 1605: Cum igitur vota pro primo articulo colligerentur, ut nimirum Princeps Arianismum se conservaturum promitteret, utque ab omnibus in civitate observaretur, sua authoritate praestaret, omnesque in tam sententiam ruerent praecipites. senator omnium antiquissimus Gregorius Bornemisza surrexit, et (quod nunquam antea publice fecerat) se Catholicum esse hac ratione declaravit: „Hanc, inquit, vestram constitutionem non probo, neque unquam Arianus fui, neque sum. Catholicus sum, et dum vivam, ero.“ Hic nostram religionem veram esse fatetur, eam semper exaltat, familiam, ut alibi diximus, universam catholicam habet. Est Societatis benefactor insignis. Pro qua et civium invidiam, et alia pericula subire non dubitavit; tamen, ut quod verbis dicit, re praestet, nondum impetrare potuimus 5.

(E Historia Transylvaniae pag. 24.)

Post lineam 21. paginae 132. ad annum 1605: Displicebat consilium Centumvirorum prudentioribus, qui libenter sese opposuissent, si ruentis plebis impetum retardare se posse existimassent. Unus tamen repertus est Valentinus Litteratus, qui se opposuit, et Societatem, inquit, in civitate, vel provincia uti non cupio, ita vestrum de eiectione consilium non probo. Quod Patres petunt, iustum est. Venerunt illi in patriam nostram, non vi, non clam, non fraude, sed legitimo Principe vocante, universaque provincia approbante. Quare neque alia, quam publica auctoritate sunt dimittendi. Non deerit modus, tempus et occasio, ut a Principe et a Provincia, quod optamus, impetremus. Hoc si fieret, nec iniuste ageremus, nec tantam in nos Catholicorum invidiam conflaremus; et tamen propositum finem assequeremur. Quibus dictis e Senatu discessit, ne iniquae deliberationis particeps crederetur.

(E Historia Transylvaniae pag. 28.)

Post lineam 17. paginae 143. ad annum 1605: Vel etiamsi multi sacerdotes essent, cum tamen nullis fulciantur administraculis, facile ruerent, multis impellentibus difficultatibus. Illud porro considerationi dignum est, quod cum tam multae haeresum sectae inter se repugnantes, in Transylvania locum habeant, earum cultores, etsi de divina interdum digladiantur, nunquam tamen se mutuo expellere conantur: at vero cum de



religione catholica oritur quaestio, omnes ut eam exterminent, facillime conspirant. Cuius rei ea est ratio verissima, quia cum omnes male agant, tenebras diligunt, lucem vero odium habent. Adde, Catholicam religionem ideo singulis prae aliis exosam esse, quia ipsa sola Christi vicarium, Petri successorem, totiusque orbis christiani caput et legislatorem se et habere, et summa religione venerari profitetur. Quicumque autem ab Ecclesia defecerunt, illud in primis propositum habent, ut huiusmodi caput, cuius vel nomen ferre nulla ratione possunt, obruncent. Quid ita? Quia superbi atque rebelles, nihil aeque oderunt atque eos, quorum legibus subditi coguntur, quorumue potestate, eorum errores damnantur.

(E Historia Transylvaniae pag. 33'.)

Post lineam 13. paginae 145. ad annum 1605: Catholici vero, cum neque ipsi eam tunc iustas ob causas impetrare possent, ut saltem scriberetur, ne illius memoriam oblivio deleteret, obnixè rogabant. Aiebant enim, si Societati migrandum fuisset, illam tanquam probatissimum veritatis Catholicae, pariter et Societatis innocentiae permansurum testimonium. Etenim cum habita esset in conspectu omnium inimicorum, eorum etiam, qui pridie et Catholicam religionem tot calumniis, et Societatem tam horrendis maledictis insectati fuissent, quique, ut omnia melius perciperent, locum immediate post Patrem sibi delegissent, et tamen nullus eorum insurgere, aut os aperire ausus fuisset, ipsimet tacendo, cum maxime loqui oportuisset et se mentitos, et Societatem inique condemnatam, satis aperte fateri videbantur. Ex quo inferebant in posterum neminem non impudentissimum sibi Catholicorum sacerdotum pravam sive vitam, sive doctrinam esse exprobatum.

(E Historia Transylvaniae pag. 43'.)

Post lineam 11. paginae 148. ad annum 1605: Et cum P. Vice-Provincialis inde Monostor versus iter susciperet, summis ab eo precibus contendit Stephanus Chiakius,<sup>18</sup> ut sibi quoque illuc proficisci liceret. Hic erat Principis Capitaneus generalis, et cum eo provinciam erat ingressus. Dum autem Segesvariense negotium perficeret, in gra<sup>f</sup>issimum morbum incide-

<sup>18</sup> Irva hibásan így: Czakius.

rat; quare cum facta illa deditione,<sup>19</sup> Medgyes venisset, et iam de sanitate poene desperaret, illud autem inprimis molestum esset, quod somnum nulla ratione conciliare possit, ac proinde varia (uti graviter aegrotantibus solet) ex quibus iucunditatem caperet sibi fingeret, eaque memoria recoleret, ex quibus magnam aliquam, sive animi, sive corporis oblectationem percepisset, venit in mentem, si ad Monostor se conferret, et aedibus ad flumen positis uteretur,<sup>20</sup> fore omnino, ut suavi praeterlabentis aquae strepitu recrearetur, somnus conciliaretur; et ipsa quoque sanitas, coeli salubritate restitueretur. Haec fuit causa, cur a Patre facultatem eundi ad Monostor peteret. Opus non fuit precibus. Pater enim libentissime et Monostor, et alia omnia illi obtulit. Eo igitur delatus, non solum, quod quaerebat, non invenit, sed brevi-consumptus, somno consepitus est sempiterno.<sup>21</sup> Quod sane divino iudicio factum arbitrati sunt ii, qui eum ob Monostoriensem locum, quem valde affectabat, et nobis eiectis facile se consequuturum sperabat. Nobis contrarium fuisse non ignorabant. Princeps autem, ut quaedam, quae ad regni gubernationem spectabant constitueret, quatrimum post dimissa comitia ibidem mansit; tum itineri Ungarico se dedit. Et cum Claudiopoli transiret, quatuor in civitate, vel quinque dies, quo tempore mortuus est Chiakius, commorans est. Ex eo Pater, ut sibi et suis,

<sup>19</sup> A segesvári ügy abból állott, hogy mivel a várat és várost Rác György vezérlete alatti rácok és németek tartották megszállva, dúlva, rabolva a környező magyar falvakat, leverésökre vagy megbékéltetésükre Bocskay 1605 augusztus 17-én Csáky István főkapitányt küldte oda ezer főnyi hadával. Ez neki sikerült is, még pedig úgy, hogy előbb a szászokat nyerte meg a fejedelem pártjára s így támaszokat elvesztvén, Rác György szeptember 9-én kivonult Segesvárról. Erre aztán Bocskay Medgyesre ment, ahol a rendek őt szeptember 15-án fejedeleminé választották a nagytemplomban, mire le is tette az esküt a törvények megtartására. (Szamosközy feljegyzése, Munkái IV. köt. 351—2. l.)

<sup>20</sup> Ez a folyó a Szamos, melynek partján a kolozsmonostori régi jezsuita hajlék feküdt.

<sup>21</sup> Nem tudtuk eddig, hogy az alig 36 éves Csáky István itt halt meg a jezsuita rendházban, és sajátosképpen még napját sem tudjuk pontosan; csupán azt, hogy Szalárdon volt a temetése, Biharmegyében, 1605 október 5-én, s azon maga Bocskay is résztvett. (Aznap kelt levele szerint, a Történelmi Tár 1878. évf. 26 l.) E szerint hibás fia, István életrajzában (a 31. lapon) Deák Farkas vélekedése, hogy Csáky István Medgyesén hunyt el; Budapest, 1883.

saltem necessitate cogente, et pro vitae conservatione civitatem ingredi liceret, libenter petiisset; at non petiit, quia nec per se, nec per alios licuit. Non per se, quia ex iis, quae in primo, quem cum illo habuerat congressu, acciderant, id in posterum sibi minime tentandum esse, satis edoctus erat. Non per alios, quia qui cum illo de Societate agere vellet, nullus erat. Quotiescunque enim de illa sermo incidisset, eum vehementius commoveri observatum fuerat. Quare etiam periculum erat, ne, dum quis Societati prodesse vellet, eidem detrimento foret. Illud praeterea obstabat, quod ipse provinciam ingrediens, Societatem civitate exclusam repererat; in comitiis vero, ut omnia in quo statu erant, permanerent, statutum erat. Quare obnitentibus ex altera parte Claudiopolitanis, quibus et hac in re gratificari se velle promiserat, et in reliquis iisdem magis quam Societati favebat, nulla spes quicquam impetrandi nobis restabat.

(E Historia Transylvaniae pag. 45'.)

Post lineam 19. paginae 150. ad annum 1605: Aliud insigne pietatis opus praestitit idem, de quo modo sermo erat, Iacobus Litteratus. Res ita se habuit. Cum antea milites auri sacra fame agitati, thesauros ubique quaerent, et antiquorum episcoporum, aliorumque primatum sepulcra violantes, magnis veluti cavernis summum templum complevisset,<sup>22</sup> eo uti non poterant ministri Calviniani; qui, ut interim, dum templum pararetur, concionandi initium facerent, magnam in arce aulam, ad id destinarunt. et undique trabes pro subselliis congregarunt. Porro cum molitores arcis apud provisorum (id est Civitatis Rector) conquererentur, quod ligna molendinis necessaria ablata essent, iis ipse potestatem fecit, ut ubicunque ea reperirent. reciperent: ergo illi subsellia destruentes, multas ad molendinum trabes retulerunt. Hoc indigne ferens Concionator, pro concione populum, ut illatam suae religioni (ut ipse dicebat) iniuriam vindicaret, incitavit. Opus non fuit multis. cum populus tunc pro maiori parte

<sup>22</sup> Ekkor fosztották ki és törték össze Basta idegen zsoldosai (a rakoncátlan magyar hajdúkkal együtt) a gyulafehérvári régi síremlékeket: úgy a székesegyházban, mint a jezsuiták templomában, melynek legművészibb emléke Báthory Kristóf gyönyörű, oszlopos és szobrokkal díszített monumentuma volt. Ezt Báthory István király Lengyelországban készítette (holland szobrással) és küldte szekereken be Fejérvárra.

constaret militibus, hoc est hominibus sua sponte ad mala omnia incitatissimis. Convocatur igitur Senatus, et ipsius mandato quotquot sunt incolae civitatis, ut nimirum primus facinoris auctor (de eo enim non constabat) innotescat, et acerbas, quicumque ille sit, poenas luat. Tunc provisorem in rerum administratione iuvabat Paulus Ruberus, iuvenis Catholicus, qui ab ineunte aetate semper fere in nostris scholis, vel apud nostros educatus fuerat. Hic cum aegrotus iaceret, et morbo in hac patria satis familiari, nervorum scilicet attractione ita laboraret, ut vix usum ullum pedum, manuumque haberet, nihilominus tamen consilio adesse iussus, ligneis fulcris innitens, scalas ascendit. Statim atque comparuit, clamant multi: „Ecce reus, ecce Papista, ecce Capite plectendus.“ Rogavit ille, ut sibi suae causae defendendae potestas fieret. Quare facto silentio, ipsosmet molitores praesentes innocentiae suae testes produxit, qui libere fassi sunt, a iuvene sibi nihil de trabibus illis iniunctum esse. At nihilominus ingens exortus est clamor „Reus est mortis; occide, occide“ et repente multi in eum erruentes, pugnis et calcibus humi prosternunt; alii evaginatiis gladiis vitam petunt, sed a primis impediuntur, qui dum illum suffocare volunt, pedibus alii, alii corpore ipso, ita miserum conculcant et comprimunt, ut facto supra illum magno hominum acervo, gladiis eius vitam petentibus locum vacuum nullum relinquunt. Hoc cum videret bonus ille Iacobus, prosiliit, et modo hunc, modo illum retrahens, tantum effecit, ut tandem iuvenem ex eorum manibus eripuerit, et prope portam quandam adduxerit, ubi non sine aperto vitae periculo, omnium impetum sustinens, iuveni, ut fugeret commoditatem dedit. Qua in re Praedicans ipse, malorum auctor, misericordia motus, sese Iacobo adiunxit, et iuveni multum profuit. Illud hic mirum accidit, quod cum iuvenis antea vix movere se posset, tantas in illa pugna vires acquisivit, ut veluti sanus surrexerit, summaque cum celeritate ex hostium conspectu sese proripiens, loca quaedam secretissima, ubi delitesceret petierit; sive, quia periculum vires addiderit, sive, quia compressio illa vehemens nervos antea impeditos et quasi ligatos solverit, sive quod magis credendum est, quia cum propter Deum, id est, propter Catholicam religionem pateretur, Deus ipsum non deseruit. Cum vero populi furor non cessaret, et iuvenis ubique quaereretur, haeretica

12 / foemina eum prodidit. Dum ergo modum, quo illum inde eripiant (locus enim ferrea porta clausus erat) moliantur, idem Iacobus rogat, ut iuris ordine agatur, et si inveniatur nocens, puniatur; interim suae fidei committatur, et ne de fide dubitent, se pro illo vadem constituit. Precibus placati assentiuntur omnes, et fide hinc inde data, Iacobus iuvenem exire iubet. Cum autem hominum perfidiam timens, de loco, ubi eum tuto servaret, anxius esset, tandem nullum carcere opportuniorem locum ratus, illuc iuvenem adduxit. Quo invento persecutores egregie decepit; nam cum iam hora prandii elapsa esset, illico populus dilapsus est, nec qui ea de re in posterum cogitaret, inventus est ullus. Iuvenem autem eodem die Senatus liberavit, eumque sanum domum honorifice reduxit.<sup>23</sup>

(E Historia Transylvaniae pag. 56'.)

Post lineam 32. paginae 154. ad annum 1606: quocumque eunt, pietatis exercitia secum ferunt, et, sicubi quiescunt, tempus frustra non terunt, sed suas ad Deum preces fundunt, eique debitum, sacrumque cultum praestant.

(E Historia Transylvaniae pag. 47'.)

Post lineam 41. paginae 155. ad annum 1606. Cancellatum: Quod si ita est, quid culpa in ipsis est, cum eos, qui in eorum potestate non sunt, ne scribant, prohibere minime queant?

(E Historia Transylvaniae pag. 47'.)

17 / Post lineam 41. paginae 169. ad annum 1606. Cancellatum: Verum, quia a vobis discedens, non possum non vobis, quos omnes in visceribus Christi complector, valedicere, valedico et vobis in hac mea valedictione duo aut tria omnium animis perpetuo conservanda reliquo. Primum est, hanc nostram dimissionem in tanto nostrum omnium dolore, animorumque acerbitate, magnum quoque utrisque nostrum laetitiae et consolationis afferre argumentum. Nobis quidem, quia cum nulla vel minimi criminis umbra obiiciatur, nonne illud evidens restat, ut pro sola Christi causa patiamur; atque ita illi sicuti nomine, ita re ipsa similis efficiamur? Pro Christo autem pati, eiusque cruci affigi, summa esse felicitatem ii soli ignorare possunt, qui Christum ipsum non agnoscunt. Vobis autem, quia eos animarum vestrarum doctores et pastores vos habu-

<sup>23</sup> Ruber (Veres) Pál e szánalmas esetéről és Jakab diák által való megmentéséről magyar krónikásainknál semmi feljegyzést nem találunk.

isse cognoscitis, qui severo examine probati et innocentes inventi, non alia de causa reprobati sunt, quam quia apud vos Christi causam defenderunt. Quod autem innocentes et ~~h~~ // in  
 venti, et iudicati fuerimus, id multis probare possemus, at /i  
 instar omnium haec una ratio sit, quod nimirum tanta cum honestate, ut videtis dimittamur. Etenim, si vel minima in re nos peccasse reperissent, nunquam (hoc pro certo habeatis) tam honeste dimisissent. Vae nobis, extrema quaeque intentassent.

Alterum est, quamvis nos discedamus a vobis, vobis tamen neque templa, neque sacerdotes defuturos. Quodsi externa haec defuerint, vos ipsi sacerdotes, vos templa, corda ipsa vestra altaria erunt, super quae acceptissimas Deo vitae immaculatae hostias offeretis. Jesuitae quidem discedunt; at non discedit Jesus, qui petit a vobis, ut sancti sitis et sanctitatis templa in cordibus vestris illi aedificetis atque in vera eius religione catholica ad extremum usque caste et constanter perseveretis. Ipse vero omnibus diebus ad consummationem usque saeculi se vobiscum futurum, ut illum in omnibus afflictionibus, pressuris atque tribulationibus vestris socium et adiutorem habeatis, pollicetur. Illud demum vos monitos volo, nos corpore quidem disiungi a vobis, at animo vobiscum manere coniunctissimos; vos nunquam deseremus. Transylvaniam, Transylvanosque nobiscum feremus, ut ubicunque futuri simus, ibi vos quoque mentibus nostris insculpti, et precum nostrarum, et omnium apud Deum meritorum participes sitis. Quod, si unquam Deus dederit, et ad vos redire et omnia pro vobis praestare parati erimus. Pro qua re vos, ut eandem erga nos voluntatem conservetis obsecramus. Atque, ut quod hic proponimus, in coelis confirmetur, Deum ipsum, Virginem Matrem, Sanctosque omnes invocemus.<sup>24</sup>

(E Historia Transylvaniae pag. 52—53.)

Post lineam 6. paginae 170. ad annum 1606: Nec mirum, quod flerent amici, cum doleret et inimici, non quidem e regno discederet Societas, sed quia modus discedendi displicebat, quasi in nostrorum privilegiorum violatione. Sua quoque violari cernerent, malaque omnia sibi parari praeviderent.

(E Historia Transylvaniae pag. 52'.)

<sup>24</sup> Argenti atya e gyönyörű búcsúbeszédéről sincs más tudomásunk.